



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

6. An suspensio sit valida, si post illam interponatur appellatio? Et an suspensio à voce actiua, & passiuua suspendatur per appellationem legitimam subsequentem? Ex p. 5. tr. 10. res. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

debet obesse reo. Alii dicunt attendendam causam, ob quam talis suspensio fertur, quoniam qualem meretur suspensionem delictum, talis incurritur: unde si delictum meretur suspensionem ab officio, talis incurritur; similiter si à beneficio, itidem si ab utroque simul. Alii dicunt vim habere suspendendi ab officio simul, & beneficio, sicut nomine excommunicationis intelligitur major, quæ comprehendit minorem, & hæc est sententia Sylvestri in *sum. verb. suspensio*, & probabilior cæteris, & ita etiam docet Mercerus de *Sacram. in 3. p. 7. 2. dub. 1.* ubi sic ait: Notandum quod suspensio prolata absque vlla determinatione includat privationem tam officii quam beneficii, non enim est ratio cur potius intelligatur privatio huius, quam illius, & talis habetur *Extravag. divina, de privil.* & in Conc. Trident. *sess. 25. cap. 14.* contra Episcopum concubinarium, qui à Synodo Provinciali monitus, se non emendat. Vide etiam Gordonum *tom. 2. lib. 7. 9. 14. cap. 2. n. 7.*

RESOL. V.

An suspensio disjunctiva, nempe ab officio, vel beneficio sit valida? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 13.

§. 1. Negativè respondet Hentiq. *lib. 1. 3. cap. 22. num. 4. in gloss. tit. E*, dicens suspensionem factam per disjunctionem, nempe ab officio, vel beneficio, non tenere, cum propter ineptæ sententiæ incertitudinem, non sit major ratio, cur is, in quem fertur, non eximatur ab uno potius, quam ab alterius istorum duorum suspensione, quod tamen non videtur admodum tutum. Nam fundamento, quo nititur, facile occurrere potest, dicendo in pœnis injungendis disjunctionem non adferre incertitudinem, quæ reddat sententiam irritam, ut ex eo patet quod in foro conscientie Confessarius possit pœnitenti inungere, ut vel aliquo certo die jejundet, vel det certam elemosynam, & in foro externo possit aliquis damnari, ut vel ferat aliquot verbera, vel solvat certam pecuniæ summam: quare & poterit aliquis in pœnam delicti à iudice suspendi ab officio, vel à beneficio, adeo ut gloss. *ad cap. laicorum, de Cleric. excom. minist. verb. ab officio*, habeat sic suspensionem debere abstinere tam ab officio, quam à beneficio. Quamquam videri potest sufficere, ut ab altero eorum, quod maluerit, abstinere, sicut in aliis pœnis, quæ sub disjunctione imponuntur, nisi aliam suspensionis intentionem fuisse constet, quia censura plus dependet à voluntate proferentis illam, quam ex verbis; & ita hanc sententiam tenet Reginaldus *tom. 2. lib. 3. 2. tract. 2. cap. 9. n. 21.*

2. Verum non desinam etiam hic apponere verba Hurtadi de *suspens. diff. 4. n. 11.* ubi sic ait: Quamvis Doctores communiter doceant suspensionem ab officio, vel à beneficio sub disjunctione à neutro manere suspensionem, quia non ab utroque, ut patet, nec ab altero, quia non est major ratio, ob quam ab uno potius, quam ab altero maneat; nihilominus, ut docent nonnulli credimus manere suspensionem ab uno, vel ab altero determinatè pro optione suspensi, quam tenetur facere, sicut qui condemnatur, ut exulet, vel ut solvat certam quantitatem pecuniæ, verè manet obnoxius uni, aut alteri, & obligatur unum, aut alterum eligere, quia absque fundamento negatur iudicem habere auctoritatem ad sic ferendam sententiam pœnæ, & ad obligandum eum ut eligat quam maluerit. Sic ille, & Bizozeros in *summ. tract. de suspens. cap. 1. num. 13.* absolute docet suspensionem sub hac forma suspendentem ab officio, vel à beneficio nullam vim habere, & talem non esse suspensionem,

Tom. V.

& hoc etiam docet Vega in *spec. curat. p. 2. cap. 12. §. 12. num. 100.*

RESOL. VI.

An suspensio sit valida, si post illam interponatur appellatio?

Et an suspensio à voce activa, & passiva suspendatur per appellationem legitimam subsequentem? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 16.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Turrianus *lib. 4. disp. 42. dub. 2.* ubi sic ait: Notandum suspensionem non fore validam, si feratur post interpositam appellationem, juxta communem opinionem Doctorum in *cap. 1. de sentent. excomm. in 6.* Si verò appellatio sequatur post latam suspensionem, non impedit effectum, ut habetur *cap. is cui, de sent. excomm. in 6.* quod Abbas in *cap. 2. de Clerico excommunicato minist. & cap. sapès, de appellat. in 6.* voluit esse intelligendum de sola suspensione, quæ fertur ob contumaciam, non de illa, quæ est purè pœna. Sed hæc limitatio non placet aliis, quia caput *is cui*, citatum simpliciter loquitur de suspensione absque ulla disjunctione; in jure verò utraque suspensio potest hoc nomine significari. Mihi videtur probabilis, quia videtur sermo esse de suspensione, sicut de excommunicatione, atque adeo de illo ut est censura propriè. Hæc Turrianus, quem sequitur Faber de *cons. in 4. sent. disp. 25. 9. 1. disp. 6. cap. 1. n. 47.* ubi ita asserit. Requiritur suspensio ut feratur ante appellationem, quia per appellationem tollitur jurisdictio: si autem appellatio sequatur sententiam, non impedit effectum suspensionis, sicut nec excommunicationis, *cap. is cui, de sent. excommunicationis in 6.*

2. Sed hæc opinio ita absolute prolata mihi non placet. Dico igitur quod suspensio ab officio & ingressu Ecclesiæ non suspenditur per appellationem subsequentem, quia secum executionem deferret, & patet ex *cap. is cui, de sententia excomm. in 6.* secus est de suspensione à beneficio, quod ex eodem *cap. colligitur*: nam cum ibidem singulariter dicatur suspensionem ab officio, & ingressu Ecclesiæ non suspendi per appellationem subsequentem, contrarium innuitur de aliis suspensionibus. Quidam tamen ex DD. citatis distinguunt inter suspensionem à beneficio, & à fructibus beneficii; aiuntque secundam suspendi per appellationem subsequentem, non tamen priorem, sed non video, in quo jure fundentur: Quare melius Navarrus ait omnem suspensionem per appellationem subsequentem suspendi præter suspensionem ab officio & ingressu Ecclesiæ, & sanè vel hoc, vel nihil quod ad rem præsentem faciat, ex dicto jure colligitur, & ita docet Coninch de *Sacrament. disput. 4. dub. 4. num. 29.* & Avila *part. 3. disp. 3. dub. 4. concl. 1.* ubi etiam docet, quod suspensio à voce activa, & passiva suspenditur per appellationem legitimam subsequentem, & post hæc scripta invenio etiam docere hanc nostram sententiam Hurtadum de *cons. in comm. diff. 25. num. 110.* ubi sic ait: Appellatio facta post latam sententiam censuræ, & absolutam, nequit eam impedire, imò nequit impedire denunciationem censuræ jam latæ & incurse, ut definitur in *cap. pastoralis*, & merito, quia denunciatio est quid accessorium censuræ, ac proinde eam sequitur, excipimus tamen suspensionem à beneficio, & ab aliis distinctis ab officio & ingressu Ecclesiæ, quæ per sequentem appellationem suspenditur, ut indicatur in dicto *cap. is cui*, dum dicitur suspensionem ab officio & ab ingressu Ecclesiæ non impediri per sequentem appellationem,

P 2 &c

& id tacetur de suspensione à beneficio, & ab aliis. Ira ille, & ego. Vide etiam Alterius de censur. tom. 1. lib. 3. cap. 1. quæst. 4. & tom. 2. disp. 3. cap. 2. hanc questionem doctè pertractantem. Sed ex his oritur pulchra quæstio.

RESOL. VII.

An sublatà ab Episcopo suspensio ad reincidentiam, si detur interim appellatio, suspendat sententiam, ne postea suspensio contrahatur, quod idem queritur de interdicto? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 17.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Alterius de censur. tom. 2. disp. 8. cap. 6. ubi sic ait: Dubitari potest an interdictum suspendatur ad tempus, & durante suspensione interponatur appellatio, & impediatur effectus interdicti pro futuro tempore? Respondet Calder. in tract. de interdicto, p. 2. in fine, num. 31. & primò inquit quòd interdictum personæ suspendi non potest, sicut nec excommunicatio, sed tantum interdictum loci. Secundo ait n. 32. appellationem interpositam in casu proposito non posse suspendere effectum interdicti pro tempore futuro: & rationem affert, quia quando suspenditur interdictum, non tollitur, sed remanet habitu, & impeditur ne producat effectum in actu. Quare transacto tempore suspensionis non fertur novum interdictum, sed illud idem numero, quod erat ante suspensionem, & remansit saltem habitu ligans, operatur suos effectus sicut prius, idè appellatio crit sequens interdictum. Appellatio autem sequens censuram suspendere nequit.

2. Sed affirmativam sententiam loquens in specie de suspensione docet idem Alterius disp. 3. cap. 2. quia Episcopus numquam potest tollere suam censuram, nisi illam penitus tollat, quare si appelletur, & iusta sit appellatio, censura remanebit suspensa. Deinde in sententiis censurarum primus actus non potest separari à secundo, id est substantia sententiæ, quæ est primus actus, se jungi nequit ab effectu ejusdem sententiæ, quæ est secundus actus, quia censura trahunt secum executionem, idcirco Episcopus non potest tollere effectum sententiæ, remanente substantia. Quare si suspendit sententiam, illam prorsus extinguit. Unde si postea suspensus appellet, talis appellatio habet vim, ne Superior possit iterum ferre censuram, nisi antea cognoscatur de appellatione, facit cap. dilecti, vers. quia vero de appellat. Unde ego puto cum Abbate in cap. ad hac Quoniam num. 5. de appellat. utramque sententiam probabilem esse. Sed huic affirmativæ magis adhæreo, quam tenet etiam Bonacina de censur. disp. 3. punct. 1. num. 4.

RESOL. VIII.

An si quis appellet generaliter à sententia excommunicationis, suspensionis, & c. suspendat censuram?

Et quando appellans ad plures diversos judices appellare potest, valeat alternativa appellatio, v. g. appello ad Archiepiscopum, vel ad Papam?

Et an appellatio non debeat recipi nisi ex iusta & rationabili causa in appellatione specialiter expressa? Ex part. 5. tract. 10. Ref. 18.

§. 1. **R**espondeo hanc appellationem secundum jus civile esse validam, secus autem ex jure Canonico. Sed Decius in cap. consulti, n. 4. & 5. de appellat. existimat quòd in usu juris nostri Pontificii inutilis non est hujusmodi generalis appellatio facta

simpliciter ad judicem competentem, nam quamvis omisso medio ad Papam, ejusve Legatum appellari possit, voluntas appellantis in dubio esse non censetur, sed potius præsumendum est appellationem ad proximum Superiorem judicem factam fuisse, in dubio enim jure communi potius, quam privilegio uti præsumitur, l. ejus militia, ff. de milit. testament. l. in testamento, C. de testamento militis. Quæ doctrina mihi valde probabilis videtur, & ita qui appellat verbis generalibus ad judicem competentem, proxime Superiorem debet adire, non verò majorem omisso medio, etiam si ad illum provocare potuisset.

2. Sed quid dicendum, quando appellans ad plures diversos judices appellare potest, an valeat alternativa appellatio, v. g. Appello ad Archiepiscopum, vel ad Papam? vel si appellatio formula Procuratorum ordinaria concipiatur, v. g. Appello para ante quicum con derecho puedo, y devo; vel si appelletur conjuncta oratione ad diversos judices, v. g. ad illum, & ad illum, quo casu conjuncta pro disjuncta & alternata accipitur, l. sape, ff. de verb. significat. multi casu incertam & simul vitiosam appellationem esse existimant: at Panormitanus in præfati num. 11. eo casu non vitari alternativam appellationem ait, quando judici competenti alius incompetens per alternationem adjicitur, quasi tunc denegata appellandi potestate ad judicem incompetentem, certitudo voluntatis restricta sit ad unum solum judicem competentem. Si verò uterque judex appellatus æque competens sit, nonnulli dixerunt inutilem esse appellationem ratione incertitudinis ortæ ex alternatione judicum, l. prætor, §. quod autem, ff. de testamentaria tutela. Ego verò non puto hujusmodi alternativam appellationem adeò esse inutilem, vt pto non scripta habeatur, nam vitium incertitudinis, quod in alternatione latet, poterit ab appellante sequente declaratione purgari, v. g. si appellans unum ex alternatis judicibus elegerit, dum tamen talis declaratio, aut electio facta fuerit durante termino ad appellandum designato, videlicet intra 10. aut 5. dies à tempore sententiæ, l. final. C. de tempor. appellat. adeò vt eorum dierum transcursum, aut præscriptio eligendi facultatem excludat, quo casu redditur proculdubio inutilis appellatio, vt advertit, & dissipat Baldus conf. 310. per totum, lib. 4. Alexand. conf. 101. num. 2. lib. 2. & conf. 164. 167. & conf. 79. vol. 7. ex multis, quos ipse reulit, & ex glossa in cap. sis cui, de officio de leg. in 6. & hæc omnia supradicta docet doctus Valboa de Magroviejo in lection. de Summat. tom. 1. in cap. cum consulti, num. 9. & 10. de appell. qui etiam num. 18. notat quòd appellatio non debeat recipi nisi ex iusta & rationabili causa in appellatione specialiter expressa.

RESOL. IX.

An suspensio lata à jure, quæ est censura, si reservata non sit Pontifici, possit tolli ab Episcopo?

Et an Parochus, & alius Confessarius possit absolvere à suspensionibus, etiam à jure communi non reservatis?

Et an, si supradicta suspensio reservata sit Pontifici, & delictum sit occultum, possit etiam Episcopus dispensare? Ex parte 5. tractatu 10. Ref. 23.

§. 1. **N**egative stando in rigore juris responderetur. rez. disp. 29. sect. 1. n. 2. Faber de censur. 4. disp. 25. §. 1. disp. 6. c. 2. n. 55. & Turrianus de censur. lib. 4. disp. 45. dub. 2. ubi asserunt non esse eandem rationem de